

De exemplaribus *Systematis* curabo; gratulor tibi quod te commendatore dignum censeatur.

Discipulus meus *Petr. Læfling** hoc vere adibit *Hispanias* botanices causâ, impensis potent. Regis Hispaniæ; a quo minutissimas Hispaniæ plantas expectabimus: est juvenis vere lynceus et ex meis discipulis optimus.

Adansoniæ genus perplacet.† Assumam mox nomen; utinam nossem characterem; si habeas quæso mittas ut inseratur Tuo sub nomine Actis nostris.

In Te hodie Res Herbaria, uti in illustr. *Reaumurio* Sacra Zoologiæ se vertunt et innituntur; conservet hos ocellos orbis Deus ter optimus, in Galliâ decus et scientiarum fulcimentum. Alta scientiarum quies et somnus occupavit jam Anglos, Belgas, Italos, Germanos, Russos, Danos, et cum vestrâ jacturâ aliquando forte Gallos, nisi aliqui e vestrâ scholâ prodeant digni artis filii.

Tu vale et vive felicissime, diutissime et patiare me numerari inter eos qui Te sincerâ devotione colunt, venerantur, amant.

Dabam Upsaliæ d. 28 Martii. 1751.

* Petrus LÆFLING, designante magistro Linnæo, a quo rex Hispaniæ botanicum expetierat qui res naturales hujus regni perquireret, anni 1751 vere profectus, Lusitaniam appulit, quam et Hispaniam explorans ita mandatis satisfacit, ut, ad similia exequenda, in Americam australem (anno 1754) mitteretur. Circa medium Aprilem Cumanæ constitit cujus littora et provinciam usque ad fluvium Orinocum peragravit; sed, anno vix interlapso, febre correptus et consequente anasarcâ præmature periit (Feb. 1756). Linnæus de discipulo quem carissimum et æstimatissimum habuerat, hæc in *Reformatione Botanices*: “Nullus huic facile erat antefendus vel amore plantarum, vel solidâ eruditione.” Et in Diario: “He was the best of my pupils, and communicated a great many remarkable observations made during his travels.” Obitum ejus igitur sincere deflevit et memoriam consecrandam curavit, operis litteras ipsius et plantarum tum Hispanicarum tum Americanarum descriptiones exhibentis promulgatione. (*Iter Hispanicum, eller Resa til Spanska Länderna uti Europe och America, förrättad ifrån år 1751 til år 1756, med Beskrifningar och Rön öfver de markvardigaste Växter utgifven efter dess Frånfulle af Carl Linnæus.* Stockholm. 1758.) Liber extat in linguas Germanicam et Hispanicam versus, et partim quoque Anglicam. (*An Abstract of the most useful and necessary Articles mentioned in Læfling's Travels through Spain and that Part of South America called Cumana.* Printed with the Travels of Bossu, translated by J. R. Forster.)

† Nomen *Adansoniæ* a Bernardo in Hort. Paris. propositum, jure ut Linnæo sic et cæteris placuit, et omnes adoptavêre, nisi tamen ipse Adanson, obstantibus hinc modestiâ inde peculiari botanicæ nomenclaturæ theoriâ. Scribebat enim ad Bernardum (Aug. 1750): “L'honneur que vous me faites d'imposer mon nom au calebassier est audessus de ce que je puis jamais meriter. Epargnez je vous prie mon humilité et mon peu de hardiesse pour quelquetems, dumoins jusqu'à ce que j'ai fait quelque ouvrage qui me fasse connaître. L'obligation que je vous ai de toutes façons de vouloir bien penser à un si petit sujet que moi, surpasse tous les termes que je puis employer pour vous en marquer ma reconnaissance.” Itaque nomen vernaculum, more suo, retinuit et in eximiâ Dissertatione (*Description d'un Arbre d'un nouveau Genre appelé Baobab, observé au Senegal.* Mém. de l'Ac. Roy. des Sc. 1761), et in Familiis Plantarum (1763).